



9293



Decas III.

*Quæstionum Politicarum*

**DE SOCIETATE  
PATERNA ET  
HERILI**

*Quam*

Auspicante Deo Opt. Max.

In Illustri Academia Wittebergensi

Præside

M. HENRICO VELSTENIO,

Phil. moralis Profes. P. & p. t. facul-  
tatis Phil. Decano.

*Defendendam suscipiet*

JOHANNES SCHV NEMANNUS

Hildesia-Saxo.

*Ad diem 1. Februar. horis locog̃ consuetis.*

Lips: Pueris parentes multa præter votum Imponunt, idq;  
tutelæ aut salutis causâ: Sic Deus nobis

Cic. Domus domino ornanda est; Non dominus domo.

*anabnoe WITTEBERGÆ*

Excudebat Ioh. Schmidt, Anno 1610.

  
*Amplissimis, Prudentissimis, Eruditio-  
ne, pietate & authoritate,  
Clarissimis Viris*

**Dn. CONSVLBV S**  
**SENATORIBVS, CAMERA-**  
**RIIS & reliquis inclytæ Reip. Hildesheimen-**  
**ium Senatus patribus Patriæ, Patronis ac me-**  
**cœnatibus suis omni observantia**  
**studio colendis;**

*Exercitationem hanc Politicam,*

*Submisse*

*Exhibit & nuncupat*

**Iohannes Schunemannus**  
**Autor & Respondens.**

## DECAS III.

Num obsequium illud quo liberi parentibus obstricti sunt,  
jus naturæ violet?

**D**isquisitione nostrâ antegressâ quæstiones nonnullas, primam domesticæ societatis speciem, Conjugalem videlicet, concernentes, pro virili nostrâ excussimus: Nunc de alterâ specie, τωτρικῇ videlicet hunc præsentem insituum conflictum. Quæstio prima sit haec: Vtrum obsequium illud, quo liberi parentibus obstricti sunt, jus naturæ violet? Evidem parentibus liberos obsequio fuisse summo obstrictos, decreta Ethnicorum cum corundem exemplis sat abundè testatum faciunt. Generalis lex eorum fuit: Εάν τισ μή τρέφε γονεῖς ἀτίμος ἐσω. Huic alia superstructe, ut Plauti in Sticho: Faciendum est id nobis quod parentes imperant. Virgil. 2. Aeneid. Tu ne qua parentis jussa time, ne præceptis parere recusa. Has meditans leges Polynices ad matrem jocastam ait: α γαρ συ βόλε, τὰν τέμοι φίλα, que tu vis, eadem mihi grata erunt, mater, Euripid. in phæniss. Hinc quævis apud Ethnicos obsequia liberi præstitere parentibus, ut, qui alij eos reliquis omnibus relictis medium per ignem humeris portarunt, quod fecere Philonamus & Callias civitate Cathana Vulcano commissa, referente, Pausaniam libro 10. Valer. Maxi. lib. 5. cap. 4. Aeneas, Troiā accensā, Virgil. 2. Aeneidos, quod, alij loco parentum vitæ periculum adierunt: ut fama est de adolescenti Siculo, Neapolim profecto durissima durum servitus jugum subenante, pater et captus servitusq; ærumnas sustinens liberaretur Iovian. pont. lib. 2. cap. de obed. De homine Toletano parentis loco mortem appetente vitamque amittente: Et qua eius generis exempla sunt alia, que qui cupit, adeat Livium lib. 2. Valer. Maxi. & Philipum Lonicerum in exemplis quarti præcepti. Et profectò talia exempla non minoris fuerunt laudis præmijq; acalia Heroica facta, que ad cælum

ad cœlum usq; erecta. Hinc Eutipides, qui parentes colit, hic & viuis  
& moriens Deo carus est. De hoc jam obsequio liberorum erga pa-  
rentes quæstio est, An etiam illud jus naturæ violet? Ad quod  
quæsitum cum Musonio verbis respondemus tribus: Parentib. ob-  
temperandum quidem sed honestum justumque imperantibus.  
Stobæus sermon 41: Hos jam intra limites si se hoc obsequium  
contineat, dicimus, neutquam illo jus naturæ violari. Hoc ipsum  
n. Deus mentibus hominum in creatione implantavit: quomodo igitur  
potest eidem esse contrarium? Quod ipsum post Deus solenni testimonio  
repetendo in monte Synai inculcavit, quem naturæ contraria jubere, ab-  
sist ut statuamus. Dicemus igitur potius: Hoc illud obsequium jus naturæ  
exigere. Exigit enim illud Decalogi Præceptum 4: quidni etiam exigit  
idem naturæ aliqua Lex? Ille siquidē huic est interpretatio, confirmatioq;  
ut vulgo etiā circumfertur. Quo in confirmingando anchoratū omni-  
um firmissimam ponimus definitionem Scal. exc. 301. sect. 1. que  
rei ideam & sītā exprimit Plato in Sén. eamq; talenī: jus naturæ est  
quod ubiq; gentium candem habet vim & potestatem. Aristoteles lib. 5. Nicom. Ex qua sic infero: Quod ubiq; gentium eans-  
dem habet vim & potestatem, illud requirit jus naturæ. Atqui  
hoc obsequium apud omnes ubique gentes talem habet vim potes-  
tatemque: Ergo obsequium illud vult jus naturæ. Major stat  
firma vi definitionis: Minorem probatam dedere. I. Sapientum  
decreta gentiumq; exempla supra data, quibus & hoc addat, qui  
vult, magni naturæ sacerdotis Plinij, lex aientis & vis naturæ semper  
inditione (pura potestatem) parentum liberos esse iussit. II. Salus  
uniuscuiusque reipublicæ, quas ubiq; ut sartas rectas servarent  
summo contendere studio, nullumq; lapidem immotum reliquere homines:  
Eæ autem quomodo incolumes manebunt hoc primo imperij gradu, qui  
debet esse norma aliorum gubernatorum? Phil. Melan. lib. Theol.  
comm. Destructio dilaceratoꝝ adūvator. III. Calculo suo idem ap-  
probant Literarum aquila lib. 2, polit. cap. 3: & Romana Sua-  
da, dum hic obsequium hoc juris naturæ speciem ponit, includens illud  
sub pietatem, quæ debetur patria parentibus &c. lib. 2. de invent. IV.  
hoc obsequium animantia ratione carentia docuit Natura ut  
poterat

pote Ciconias & alia: Quare igitur non idem homines ratione utentes? Alias enim ea, sapientissima. Scalig. exercit. 6. Injustitiae notam incurret; quod qui affirmat, Deum ipsum Injustitiae arguit: quid enim aliud natura est, idem exerc. 278. (id est Dei ministra, Victor Top. Dissert.) Merito igitur hoc qui negat, ridebitur ab Aristotele, explodetur a Platone, Galeni iussu vapulabit, exerc. 68. l. 1. Equi n. sua faciunt, canes sua, & illi suum officium habuerint neglectui? non reor, illud a. est rectus rationis usus, Artianus lib. 1. dis. cap. 1. 2. 16. 28. lib. 2. c. 9. l. 3. c. 1. & 4. Lactantius lib. de ira Dei c. 7. & 10. Qui ubi & quam diu viguit, ibi tam diuq; hoc obsequium non neglectum. Dicis: hoc forsitan ex lege Dei novere, populo judaico traditum? Fallum dicens: Contrarium n. assertit gentilium dator Rom. 2. v. 12. gentes, inquiens, quæ legem non habent Naturam, quæ legis sunt, fecerunt: nemo autem (Helleboro cui non opus) negabit, non esse hoc obsequium legis divinae: quis igitur inficias ibit, hoc obsequium gentes naturam non prestitisse? Prestiterunt ex notitijs principiorum practicorum & conclusionum inde exstructarum, de regendis moribus, naturam notis. Dicis ulterius: Nullum dari jus naturæ, cum non detur justitia naturalis? Fallum iterum dicens: justitia enim naturalis concedi potest, si vox justitiae sumatur de qualicunque dispositione seu inclinatione ad justitiam. Pergis: Si naturale jus hoc requirit parentibus esse obediendum, qui igitur sit, quod saxe contrarium experiatur, cum naturale jus à philosopho immutabile pronuntietur, lib. 5. Nicom. & libro Περὶ ἕρμην. Hic sciendum, hoc facto non leges vel principia naturalia, sed conclusiones deductas mutari, quæ variis possunt implicari circumstantiis: Manet enim interim hæc naturæ lex: parentibus est obtemperandum: Sic si filius Christianus etiam cogente & jubente patre, noller Christum abnegare, religionem dissimulare, patriam prodere &c. non tamen propterea legem de obsequio liberorum violasset: In his enim omnibus justum honestumque exceditur, plusque valere debet illud Act. 4. & 5. Deo magis obtemperandum quam hominibus: Hæc talia inusta in honestaque sub pena supplicij eterni prohibuitur. Concludimus igitur si obsequium hoc intra honesta justaque se contineat, non tam leges violare, quam has idem exigere. De quibus satis: Pergimus quarendo.

A 3

QVÆ

## Q V · A E S T I O   II.

*An rectè Papistæ suum clerum in votis monasticis suscipiendis  
Patriæ potestatis vinculo eximant?*

Iesuitæ Monachis tria vota, quæ consilia Evangelica vocant, exstruxerunt, paupertatem, obedientiam & castitatem, pro quibus tanquam pro hæris & porcis (pro aris inquam & focis) pugnant. Paupertate & castitate hæc vice relicta, ab hoc foro quippe aliena, tam sum obedientiam examinabimus, quæ ab omni coertione tam magistratus quam parentum, qui se deuoverunt monasticaq; vite addixerunt, liberos esse rentur, ut rebus saepe incuria Parisiorum iudicatis formatum firmatumq; fuit; Et non ab hactantium, verum etiam ab omnibus planè ijs, que ante concepta vota gesserunt, ut de ijs eos jam nemo amplius accusare queat, referente Zanor: Bellarminus acris vite monastice defensor eundem fovet errorem, dum dicit, filios cum ad pubertatis annos pervenerint, non teneri ad obedientiam patri in omnibus præstandam lib. de monachis cap. 21. sed tardus est in errore hoc comprobando, cum idem votum nec ex sacrarum literarum monumentis neq; ex sanctorum patrum decretis probare valeat. Profert quidem aliqua; in ijs tamen argumentatur à baculo ad angulum. Videamus ista. Primo ut eò felicius progredi queat Iesuita, probare nititur obedientiam quandam Deo esse gratam, etiam in ijs rebus, quas non præcepit. Pro cuius confirmatione profert filios Ionadab, qui ut obedirent patri suo, non biberunt vinum, non edificarunt domum, sementem non fecerunt neq; vineas plantarunt, quare eos Deus laudavit benedictionibusq; implevit Ierem. 35. **II.** Dicit, rectè facere homines qui vitam communem agunt, si aliquem sibi præpositum eligant & ei obediant. **III.** Indidem item probaturus, pergit ad autoritatem veterum sanctorum, apud quos obedientiam monasticam in usu fuisse, eamq; ex antiquo Ecclesiæ usu probari posse, retur. Sed fulgura è pelui hæc tunt, neque argumenta hæc ad lincam prorsus faciunt. Helleboro forsitan Iesuita hic opus habuit: & plus quam Cimmeriis enim tenebris mens ejus esset oboluta, vanitatem eorum qui non deprehenderet. Nos cadem vanitatis obelisco

obclisco confodierit. Vanum est priusnum. Probandum narrat  
Iesuitæ incumbebat, Obedientiam ex voto à Deo mandatam: Fue pro-  
bat filios ionadab præceptum patris impleuisse, sicq; 4. Præceptum obser-  
vasse, quapropter eos à Deo esse beneuictos. Nec est quod Bellarminus  
cum Rabano dicat, filios Ionadab p'ius fecisse quam lex divina præ-  
cipere: Faltum dicit: Nihil enim fecerunt ad quod ex præcepto de ho-  
norandis parentibus non obligabantur. Dicit, Deus hoc speciale non man-  
darat de vitando vino: Generale tamen quartum præceptum de  
honore & obedientiâ parentibus præstandâ illa specialia sub i-  
cludebat. Iesuita si hoc exemplum accuratius pensitasset non protulisset.  
Proprio enim se jugular gladio. Nam filij Ionadab parentum præceptis  
obedient, unde laudantur, & à Deo beneficiis afficiuntur. Qualem vero  
Monachi, dum parentibus idem obsequium præstare recusant, laudem  
exspectabunt, quale premium accipient? Mirum; loco illius vituperi-  
um, huius pœnam temporalem & aeternam: Deus enim verax est, Rom.  
3. v. 4. qui obedientibus parentibus longavam vitam & alia huius &  
futuri seculi beneficia per totam scripturam pollicitus est: Inobedientibus  
verò omnia mala, quæ exspectabunt monachi, nisi ab hac obedientia vel  
potius inobedientia desistant.

Nec refugium habent, quod facti sunt Monachi; illud enim  
Deus non præcepit; Hoc vero maxime.

Secundum Iesuitæ argumentum nihil habet roboris. Scris-  
ptum quidem Hebr. 13. Obedientum esse præpositis. Per hos autem  
non intelliguntur. Abbates vel Monachorum seniores: illi enim quo-  
rum Epistola meminit à Deo sunt missi: hi vero minimè, Sed sponte  
eucurere. Illi curam agunt animarum: Hi ventricorum: Imo si  
hoc, Cardinales ipsi, imo & ipse Pontifex Romanus illis obedire co-  
geretur, quod si statueret, gloria & laus eius non parum detrimen-  
ti ferret. Sic etiam si prius affirmaret, non parvam Sacra Scrip-  
tura & omnes p'ij homines jacturam pati cogerentur. In tertio Ies-  
uita planè nugatur. Polydorus de inventione rerum cap. 7.  
lib. 7. cap. 2. ait, Basilium huius obedientia monastica autho-  
rem, esse, & ante cuius tempora ne nomen istius reperiri potuisse.  
Hic

Hic autem diu post Apostolos floruit: Apostolis igitur hac obedientia  
planè fuit ignota. Patres quod attinet, nec ex iis Iesuita, quod mon-  
strandum, monstrare potest. Totus quidem est occupatus in corradendis  
patrum dictis: sed illa nihil ad scopum. Nihil n. aliud ostendunt quam  
hanc obedientiam monasticam rem esse novam quod ea perpendenti ma-  
nifestum fiet. His ita discussis in sumumq; abactis. statuimus cum Bodin  
lib. 3. de repub. cap. 7. Cumq; omnibus Christianæ Ecclesia Theo-  
logis: Patriæ potestatis vim ac decus devotionibus filiorum mis-  
nuinon posse. Rationes ponimus has I. Quia natura legum hu-  
manarum norma est: Lex autem naturæ liberos parentum obsequitis  
centia ipsam, & his  
liberorum q; exptis q; q  
obligare possent ac  
quibus videat. J.  
tū a scio liberos  
et omnes parentum  
non possunt.  
Ant se parentes reti-  
centia ipsam, & his  
liberorum q; exptis q; q  
obligare possent ac  
quibus videat. J.  
tū a scio liberos  
et omnes parentum  
non possunt.  
Quam etiam potestatem jura civilia dant parentibus, neceaa amittitur  
nisi vel emancipatione, vel deportationis pæna vel servitute, vel capti-  
vitate, vel morte patris. II. Quia hac traditione hominum man-  
datum Dei relinquunt, quā tamen frustra colitur. Non enim potest  
unicum monstrari dictum, in quo hac obedientia ex voto præcipiatur:  
Dum igitur hanc observant, relinquunt quartum præceptum paren-  
tibus honorem & obedientiam debitam denegantes III. Iesuita se  
ipsum implicat & intricat: dicit enim hanc obedientiam esse consili-  
um: Iam vero consilia, ipso adversario fatente, non imponunt necessita-  
zem nec quisquam ad ea adigitur: Et vero que voventur reddenda  
sunt Deo Ps. 75. Sumeretur enim nomen Dei in vanum contra secundum  
præceptum, & Deus illuderetur, quod impium. Votum igitur hoc non est  
consilium: Nec est præceptum: Alias omnes homines, Cardinales &  
ipse Papa monasticam deberent agere vitam: Ergo plane nihil est. Fallum  
igitur vitam monasticam esse statum perfectionis, ut clamitant. In hoc  
enim negat Christus negat Apostoli vixere, quos in statu imperfectiori,  
achodiernos monachos, fuisse, qui affirmat, anathematis fulmine percu-  
tiendus. Verum autem, Monachos non à Deo nec ab Apostolis sed ab  
hominibus fuisse institutos. Impium: Parentibus non in omnibus ob-  
temperandum, ut Bellarminus ait, quod expresse contradicit Aposto-  
lo Col. 3. affirmanti, parentibus in omnibus esse obtemperandum. Sed  
complicamus vela, & plura hac de re desiderantem remittimus ad  
Mattheum Sutliv; lib. de monachorum institutionibus & mori-  
bu.

bus utiliter & abunde differentem, & Bodin. lib. 3. de repub.  
cap. 7.

## QVÆSTIO III.

An ergo nullius alquis casus esse possit, in quo jugum parentum excutere liceat?

Latâ lege, quicunq; vult sapientior esse lege, fatuus est, dicunt Iurisconsulti. Iam verò cùm lege divinâ & civili & naturali omnibus imperant ium subditis indeterminate & absolutè razum sit, filios obedientiam parentibus præstare in omnibus obstrictos, fatui forsan videmur, qui quiritamur. An eam aliquando excutere liceat? Sic enim illa: honora parentet, Exod. 20. v. 12. Ephes. 6. v. 2. Obedi parentibus in omnibus ad Colos. 3. Sic ista: In potestate nostra sunt liberi nostri quos ex justis nuptiis procreaverimus, Item: Qui ex te & uxore nascitur, in potestate tua est, Iustitius lib. I. tit. 9. Sic hæc: à quibus vitam, victimum & amictum habes, ijs obedientiam præstare es obstrictus. Hæc omnia habes à parentibus. Ergo. Sed neutquam nos fatui, fatuus tu, & protius lapis, qui hoc non capis. Per transennam enim tantummodo nihil a spicce Themidos regnum, & statim tibi innotescit aliquot gradus, in quibus ista obedientia, non dico planè excutitur, sed aliquantulum remittitur: Quorum gradus aliquis consistit in solo parente, aliquis in solo filio: Aliqui in utroque In solo patre fit, quando is moritur, tunc enim & divinum & humanum & naturale vinculum quo pater & filius constricti erant, dissolvitur, sicq; filii sui efficiuntur juris (quod idem tamen non de avis & nepotibus est acipiendum: Mortuo enim avo, superstite patre non sui juris fiunt, sed rediguntur sub potestate patris) In solo filio fit, si fuerit ad summum patriciatus dignitatem vel consulatum electus: Quod licet prius negatum sit in institutionibus, ubi su extus sonat lib. I. Institut. tit. 12. Filius-familias si senator vel consul factus fuerit, remanet in potestate patris: Consularis enim dignitas filium de patris potestate non liberat. Postea tamen idem concessum, ut ibi-

B

denuo

dem legere est: Gradus in utroq; & patre & si filio qui constituantur. sunt Emancipatio & Adoptio, quibus filij a patris potestate liberantur, manuq; mittuntur. In quibus tamen utriusq; voluntas & consensus requiritur. Sic enim in loco dicto: Naturales liberi parentes cogere nullo modo possunt eos de potestate sua dimittere. Item: Adoptio fit presente eo qui adoptatur & non contradicente, &c.

Cæterum non abs re sic queritur: Anne ergo parentes semper & simpliciter sint honorandi, quantumvis fuerint infames, vitijs manifestis dediti, convitatores &c. Respondent alij, nihil horum tanti momenti esse, ut causam violandi precepto Dei, de honorandis parentibus probere possit. Lex enim sine exceptione dicit: Honora patrem tuum &c. quod de infamietiam, de rigido, duro, intractabili, ebrio scortatore, adultero, adde etiam blasphemo & impio intelligendum est. Vbiq; enim hic valebit: Pater est. Ergo honorandus. Negat latuit Deum legislatorem fore impios aliquando piorum filiorum parentes: interim tamen legem simpliciter dedit: Honora patrem, &c.

Nos dicimus, ex antegressa quæstione primâ, hanc simpliciter primam curam liberorum esse debere, ut patentes suos debito honore prosequantur, nisi superiores parentes, ut Deus & Natura dehortentur. Deus quidem: quia Paulus Ephes. 6. v. 1. disertè dicit τὸν κυρίῳ παρεῖναι εἶναι πατέρισμα, quatenus Deo suus honor salvus & incolmis maneat. Et Christus dicit Matth. 10. v. 37. qui amaverit patrem aut matrem supra me, non est me dignus. Natura quidem: quia ne quidem ihs, quæ Gellius lib. 2. cap. 7. μέσα seu ἀδιάφορα vocat semper parentum est, quia Arist. 9. Ethic. c. 7. ostendit, filium non teneri patre febriendi, contra sententiam Medici, vinum nocitum ad ipsum jussa porrigere. Videatur hâc de re disputatio Musonij apud Stobæum serm. 77. Gellius l. d. Danaus in Ethic. Christ. p. 108.

## QVÆSTIO IV.

Utrum filius in magistratu constitutus, patri privato preferendus?

Con-

Conclusum iam cum sit, filium in summa patriciatus dignitate constitutum aliquo modo à patris potestate liberatum, quaritur: Anne etiam talis filius privato patrī posse præferri? Vbi nos, brevitatis studio filium illam dupli modo considerari posse dicimus: Vno, ratione originis & absolute, quatenus est filius: Altero respective & ratione dignitatis, quatenus est magistratus: Priori respectu consideratur privatim extra forum sicq; semper minor est pater eiq; postponendus, quippe ab illo habens id quod est. Posteriori publice in foro. & sic major est pater eiq; praesferendus: Tunc enim non propriam, sed totius civitatis gerit personam, ut Cicero lib. I. de Officiis loquitur. Et sic cum Fabij Maximi consulis patre praeconsule judicanda publica instituta privatā piegate potiora, referentibus Valerio Maximo lib. 2. cap. 2. Claudiano Quadrigario lib. 6. Analog. judge Bodino lib. 2. de res publ. cap. 5. Hoc ipsum perspectum fit aspiciendi historiam præsidii alicujus provinciae Creta, qui cum aliquando cum patre Philosophum Atheniensem Taurum salutando accessit, eos is resalutans do patrem sedere jussit quod pater recusans, sedeat, ait, hic potius, qui populi Romani magistratus est: ad quod Taurus illico respondit: tu interim scde, dum querimus, utrum tene potius sedere, qui pater es, an filium qui magistratus est, convenias. De quo diu cum actum, tandem ita conclusum: In publicis locis atq; muneribus ut & actionibus patrum iura, cum filiorum, qui magistratibus sunt potestatis collata, paululum interquiescenda & connivenda sunt: Sed cum ex parte rem publicam privatim in domestica re atq; vita sedeat, ambuletur, aut in familiari convivio versetur, tunc interfiliū magistratum & patrem privatum publici honores cessant, naturales & genuini exoriuntur. Aulus Gellius videatur in noctibus Atticis lib. 2. cap. 2.

## QVÆSTIO V.

An parentes debeant liberis thesaurizare, eosq; alere, an vero contra?

B ij

Sacr

Sacra consulentes oracula reperimus parentum officium esse liberis, thesaurizare quod 2. Corin. 12. v. 14. habemus eosq; alere, quod Ephes. 6. v. 4. legimus, quib. concinit Philosophus noster lib. I. polit. cap. ultimo. Natura; inquiens, illud docet, ut alimentum accipiat unum, quodq; ex eo ex quo generatum fuit. Naturam autem rectamq; rationem si consulamus, non possumus non concludere liberos rursus cum per etatem vim ac robur adepti fuerint, parentibus gratitudinem exhibere, eosq; alere ac sustentare. Bodin., lib. I. de repub. cap. 4. Affirmamus igitur utrumq; questio-  
nis membrum: sed sub hac limitatione. Parentes per se non posse sunt non alere liberos cum eorum pars aliqua sint & in ijs vivant. Liberi vero per se culum debent parentibus; officium autem eorum su-  
stentationem, ut loquuntur scholastici, per accidens, si nemp; parentes opibus & auxilio liberorum indigeant. Tunc enim liberi, si grati-  
tudinem, si divinas naturalesq; leges, que consistunt in mutua redi-  
denda vice parentibus I. Timot. 5. v. 4. eosq; beneficentia juvando,  
Matth. 5. v. 4. 5. 6. observare velint, eosdem alere aut certe mutuam  
alimentorum vicem rependere non recusabunt, cum relatorum eadem  
sit ratio. Bodinus lib. dicto.

Non enim potest ullum praetorius simulacrum ponni parenti-  
bus, quam si senio confecti similes sibi liberos aspiciant, & ab ijs fove-  
antur ac honore afficiantur, usq; ad extremum vita actum, ut Plato  
ait. Hoc ipsum satis perspectum est in animalibus ratione carentibus,  
unde Aristophanes in avibus Ciconiarum legem recitans ita fatur.

Sed est nobis avibus haec antiqua Lex

Descripta in legum tabulis, quas Ciconiae

I labent: Parvas nam cum pater Ciconias

Nutrir, & jam factae sunt volatiles.

Oportet natos hanc referre gratiam:

Parentibus, ut senes vicissim nutriant.

Quod si jam in irrationalibus fieri id deprehendis, quidni idem  
apud animantia ratione uentia? cupis exempla? En in promptu  
sunt. Cimonis filia patrem fame necndum uberibus alit, Plinius  
refert,

refert, Roma humiliis in plebe & ideo ignobilis puerpera, supplicij causa carceri inclusa matre, cum impetrasset aditum ad eam, a janitoribus semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus atque eam. In quorum exemplorum numero ampliori Diogenis laternâ non est opus, cuius enim sunt obvia. Queris, possintne etiam liberi majora reddere beneficia parentibus, quā ab iis acceperint? Respondet Seneca lib. 3. de beneficiis cap. 30. ita: *Quicquid est quod dat patri filius, utiq; minus est, quia hanc ipsam dandi facultatem pater dedit.* Et cap. 32. patris beneficia vinci à filij beneficiis non possunt, *Quare? Quia vitam accepit à patre, quam nisi accepisset, nulla beneficia dare potuisset.*

## Q V Æ S T I O VI.

*An patri potestas vitae & necis in filium committenda?*

Romanos, Celtas, Persas, Gallos, Indos & alios populos eadem potestatem in filios tam naturales & legitimos, quam adoptatos habuisse, habemus compertum: Ex quo Bodinus lib. 1. de res pub. cap. 4. candem merito summoq; iure hodiè in rebus publicis retinendam censet. Hanc sententiam suam videtur confirmare his potissimum rationibus. 1. quia eadem potestas fuit concessa parentibus in veteri testamento, ut nimirum rebellis filios lapidibus obruerent, Deut. 21. v. 18. 2. quia tale ius etiam alia gentes (ut jam dictum,) execute fuerunt: imò decem-viri, quia imperium illud vitae ac necis universæ reipublicæ admodum utille statuerunt, legibus duodecim tabularum id sanctius & severius confirmarunt: Hinc etiam L. Brutus, Caius & reliqui in liberos perseveri à Livio & Valerio Maximo summis evocantur laudibus. 3. quia hac potestate contempta, contemnuntur etiam hodiè à liberis parentes, ab ipsisdemq; pro ludibrio habentur. Hinc, quid est; inquit Bodinus, quamobrem miremur tot litibus ac judicijs magistratus impediri, que judicia ferè semper feruntur virum inter & uxorem, parentes ac liberos, fratres ac sorores, quoniam uxor, liberi, servi, domesticâ veterum potestate soluti sunt. Itaq; mirum videri non debet

dcbet si patria potestate sublatâ decus Romanorum ac nobilitata viri  
eius una cum magistratu ac legum metu repullulantibus undiq; vitis  
ante imperii occasum extincta fuisse videatur &c. Vnde jus illud per  
 vim & fraudem erexitur a Constantino Cæsare, parentibus re-  
stituendum serio suadet.

Verum quasvis summam parentibus in liberos conce-  
damus potestatem, derogamus tamen eis istam, quam vita  
& necis vocant, propter hanc triplicem rationem. 1. quia con-  
traria est legi divine, prohibenti in genere tam omne homicidium  
Exod 20. v. 11. quam omnem vindictam privatam, Matt. 5. Rom 12.  
In specie monenti omnes parentes ne nimia ira commoti ponant ani-  
mam suam ad filiorum interfectionem Proverb. 19. v. 18. 2. quia  
contrariatur legibus civilibus, que hodie illud ius nequaquam per-  
mittunt, sed sub pena parricidij, quam max videbimus, prohibit.  
vide Iustin. lib. 4. tit. 8. 6. 3. quia contradicit legi natura-  
li: Natura quippe semper appetit sui conservationem. Iam ve-  
ro qui filium suum occidit sui non conservationem, sed destructionem  
appetit, vivit enim post mortem in filio qui est ipsius imago, ait Cac-  
sus in sphæra civita: lib. 1. cap. 3.

Respondemus proinde ad primam Bodini rationem, dil-  
tendo illam seipsam everttere: Expressè enim legimus non paren-  
tibus sed in iudicibus illud fuisse concessum. Secundam nihil concludo-  
re: Quaritur enim de jure & non de facto, quod cum legi & divina  
& civili & humana contrarium sit, meritò vitamus. Tertiam falsa  
laciem esse: fallit enim secundum non causam ut causam. Alius enim  
modus castigandi & reprehendendi liberos in verbo Dei prescriptus,  
qui ubiq; in scriptura est obvius, quem qui non videt cœcus qui non  
percipit, demens censendus.

## QVÆSTIO VII.

### Quænam parricidarum pæna?

Solon cum leges Athenienses conscripsisset, rogatus, cur nullam  
in eum qui parentem necasset, pænam decrevisset? Respondit nemini-  
nem adeo detestabilem fore, quem id facturum putaret. Sapienter  
quidem fecisse Solon videtur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea  
comis

commissum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videre-  
tur. Verum cum tale immane factum fuerit perpetratum, pæna et  
iam subjuncta fuit: cumq; crimen illud sit asperrium & detestabile,  
nova pæna etiam persequenda non gladio, igne aut alio solenni sup-  
plicij genere sed mirabili. Majores enim nostri sapientius, qui cum  
intelligerent nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret  
audacia, supplicium etiam singulare parricidis excogitarunt. Cicero  
pro S: Roscio, Quod tale: Homo parricida vna cum simia  
serpente, gallo, cane inservitus in flumen proiecitur: Simia  
inscrebatur quia hæc non est homo sed videtur homo, ut si-  
gnificaretur hunc indignum esse nomine hominis. Serpens, quod ille  
sit inimicus hominum, quo innueretur, talam hominem esse totius  
generis humani hostem qui cum mortem intulerit parenti, à quibus  
vitam habet, quidni in alijs hominibus à quibus parum habet idem,  
si non peius quid, committeret. Canis, quia hoc animal proprio su-  
generi non pariet, ut indicaretur hunc eque fuisse impudentissimum.  
Deniq; Gallus addebatur, qui cum reliquis animalibus odium ex-  
eret, quo iterum subinnuerent, hunc hominem, omnium odio esse  
dignum: Sicq; proiecitur in aquam, à qua omnia hac abhor-  
rent animalia ut ita innotesceret, extremo supplicij genere hunc ne-  
bulonem esse dignum. Et sepè in ipso supplizio magna horum animas  
lium deprehensa fuit pugna, ut ita eo magis parricida affligeretur.  
Quo mortis genere Publum Malleum fuisse interemulum, interem-  
tā matre, refert Plinius. Consulatur Iustinus lib. 4. titul: 18. Ci-  
cero in oratore pro Roscio. Plutarch. in vita Gracchi. Seneca  
lib 1. de clement.

## Q V Æ S T I O VIII.

An servitus sit secundum naturam?

Aristoteles duplices constituit servos, alios secundum le-  
ges, alios naturā. Illos vocat eos, qui propter rationis & ingenij  
imbecillitatem familiam non regere, neq; secum consilio sustentare  
possunt: Hos verò eos, qui vel in bello capti vel certis de causis alios  
rum potestati sunt subjecti, ad quorum nutum se accommodare cogun-  
tur,

enr. lib. I. polit. ca. 3. Controvertitur autem hic, an natura servi dari possint. Pro cuius parte negativa tales possunt colligi cohortes. 1. Omnis poena est præter naturam: Servitus est poena. Ergo est præter naturam. 2. Nullum violentum est naturale. Servitus est violentia: Ergo non est naturalis. 3. Omnis defectus est præter naturam. Servitus est defectus: Ergo est præter naturam. Quid nos hic? An veluti profugi milites imperatorem nostrum deseremus? absit: pro eo pugnabimus his clypeis. 1. Quia res publica est necessaria. Iam verò ad eius constitutionem requiruntur familia Ad familiam vero servi. Ergo erunt & servi necessarij. Vnde Bodinus lib. I. de republ. ca. 6. Non prius, infit, res publice, quam servitia constitui ceperunt. Secundo, quia utile est in societate humana quosdam imperare, quosdam servire, ut ita certi constituantur gradus, & eo melius res publica & societas humana consistere queat. Vnde mira hac in re conspicienda est naturae providentia, qua in necessarijs non deficit. Sine virtute enim quis ordo? Quod imperium? quae civitas? quae rerum cura & administratio esse potest? Casus in Sphæra civita: lib. I. ca. 3.

Pro decisione cum eodem Cato, distinguimus inter hominis status: Ante lapsum enim in statu interitatis nulla talis servitus, qualis iam est, fuit: Post lapsum autem, ubi poenam servitutis sentire cogimur, alia est ratio.

Respondemus nunc ad prius argumentum, servitutem esse præter naturam ad statum integratatis, naturā autem, si ad statum post lapsum. Ad secundum respondemus servitutem esse violentam non per se, sed ex accidenti. Si enim servus legitime tractetur (pura ut natura jubet) modo, non est, si verò illegitimo, quod sit per accidens, sit violentia: Servus enim ad usum non ad crucem datur. Ad tertium, committi fallaciam in majori à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: Non enim omnis defectus est præter naturam, sed ille tantum, qui ob naturae imperfectionem fuit introductus. Talis non est servitus: Est enim defectus non respectus naturae sed domini: Vide Casum dicto loco Bodin. lib. I. de republ. cap. 5.

QV AE-

## QVÆSTIO IX.

*An pugnat Aristoteles cum jureconsultis qui negant aliquid naturâ esse sér vumi?*

Iure consulti Aristoteli nostro, quosdam natura esse servos statuenti, ut jam dictum, contradicere videntur, dum servitutem naturâ penitus alienam esse in suis comitijs tradunt: E contrario vero pro libertate omnibus modis propugnandum putant. Medium quo reconcilientur in promptu est, si assumas distinctionem jam modò traditam inter hominem consideratum ante lapsum, & post lapsum. Priori modo nullus est natura servus: Nam omnes ab Adamo, qui liber erat creatus, fuissent oriundi, Hincq. omnes extitissent perfecti, nullus ratione & ingenio imbecillus, ob quam potestati aliorum se tradere coactus fuisset. Posteriori vero liberè dicimus aliquos homines esse naturâ servos. Servitus enim ab ipsis orbis originibus ortum habet, quod est, ut interpretatur Boëdinus lib. I. de repub. c. 5. Post aquarum eluviones ac voragini. An vero ante ista tempora servitia fuerint, in ipso conflictu videbimus cum de eo ad huc sub judice lis sit?

## QVÆSTIO X.

*An servitus legalis sit justa?*

Pro parte negativa hæc possunt adduci rationes 2. quia sapissimè belli m est injustum, quando ob injustas suscipitur causas: Ergo iniquum esset, si hostis victor evaserit partem justam servituti addicere: Imo iniquum est ut viri optimi sceleratis, latronibus & piratis miserrimè ac turpiter servire cogantur, coacti in pris missi à principe bellum susceperint: Secundo quia lex hæc contradicit naturæ & aequitati, dum civilis barbaro, sapienti stulto, vir bonus scelerato, eruditus ignaro, qui sapè in bello superantur, servire coguntur: Tertio: Quia haec lex non est simpliciter justa, sed secundum quid? Lex autem quæ justitia norma est, simpliciter iusta esse debet: Vnde sequitur, Lege servos, non esse servos. Verum arguer

argumenta hæc nobis non satisfaciunt: Defendimus proin  
de Philosophum nostrum in partem affirmantem inclina-  
tem, his moti rationibus. 1. quia æquum & justum est ut ijs,  
in quibus insignia virtutum expressæque imagines, veræ for-  
titudinis & magnanimitatis conspicuntur quæ in belli victo-  
ria cluxere, fiat remuneratio quæ in ijs, in quos victores eva-  
sere, consistit. Lege igitur non injustè sancitum est, ut capti in  
bello vincentibus subjicerentur, quo magis magisq; reliqui imitaren-  
tur, ut propatria aliisq; in bellis viros fortesq; se prestarent, ut idem  
consequerentur præmium: Nihil enim militi animum alacriorem  
ad dimicandum addit, quam remunerationem accipere. Nihil ani-  
mum magis enervat, quam post periculum vite penitus contemni,  
ait Calus. 2. quia hoc commodius & salutare est in ijs qui in  
bello vincuntur: Hac enim conditione à mortis faucibus liberan-  
tur. Nihil igitur est quod nobis hic objicit Bodinus: Qui bello, in-  
quiens, inusto captivos servare humanitatis esse putant, consimiliter  
faciunt, ut latrones & piratae, qui se vitam ijs dedita jactant, quibus  
non ademerunt. Quis enim adeò stupidus, qui non intelligat, faci-  
tius esse servire quam occidi, commodius domino vincenti se commit-  
tere, quam vitam amittere.

Respondemus nunc ad argumentum primum: hic non  
quæri an bellum illegitimè sit suscepsum, sed an justè hostes sine  
capti, quod dicimus ex eo, quod serventur cum juve occidi possent.  
Ad secundum, Non hic respectum personarū attendi qui sint  
sed tantum quod sint hostes, qui cum capti, sub servitute victoris iura  
& lege ut servi tenentur. Ad tertium dicimus, hanc legem esse sim-  
pliciter justam, ut captivi siant victorum subditi: Esse autem secun-  
dum quid justum, ut meliores bello capti dominio subjiciantur co-  
rum qui sunt deteriores. Plura qui cupit audeat Arito.

telem lib. I. politi. cap. 4. Tolosanum lib. 6.

de repub. cap. 13. distinct. 12.

F I N I S.

Suo ex int̄mis int̄mo atque  
Contubernali  
**JOHANNI SCHVNEMANNO**  
ex politicis dissertanti.

Βέλτερον ἀλκήστρον ἐφυ σεσοφισμένον αἴτη.  
ως μάκαρ, ως σώφρων, οἵτις ἔρα τοφίη.  
Οὗτος ἕρα τοφίης, εὐδαιμόν τὸ λαβίστρον οὗτος,  
κυδόνιων δέσποιν πᾶς σωμαῖσιν ἔχει.  
Πλάτονος τοφίη θυμοῖς αμαχώτατον αἰτεῖ.  
Οὗτος γάρ αὖ πλάτους θυμὸν περικόρεσσας  
οἷς δὲ αὔτως τοφίην ὁ τοφώτατος τούτος δηπεύει  
αλλ' ἔργαται, θυμὸν δὲ αὔτως τελέσται.  
Λύροὺς καὶ πέλιοις τοφίην καὶ τὰ κυθερνά,  
Οὖν βάλε τῶν τοφίων σὺ φρενὶ σῶ τε νόσο  
ἢ τοφίη, τόδε αἰθλὸν σὺ αἰθρώσοισιν μετανοίη  
καὶ θείστη τε φέρει γέγνεται αὐδεὶς τοφῶ.  
Θυμίστοις κλείστρον ἐσθλὸν διπλαύται, γδὲ οὐρανὸν αὔτη  
αἴκινος γῆς πέρι τῶν γέγνεται αἴθαλατον,

Johannes Schriderus  
Affianus Saxo:

STUDY OF THE CULTURE OF THE INDIAN TRIBES

Bol. 2

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

18. Aug. 1995

20. Jan. 1997

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0123379

Philos A  
158 m

